



Nicolaus Gallus in Saxonía sub Anhaltinis principibus natus est anno 1516. Is post facta domi literarum fundamenta sese Vuitebergā contulit, atq; per decennium sub Lutherō & Philippo diligenter bonis literis, in primis uero Theologiae, operam dedit. Inde Mansfeldicę scholę ad tempus praeſicitur. Cum aut̄ postea Ratisponensis respub. Euangelij doctrinam suscepisset, atq; Vuitebergæ pios pastores petiſſet, Nicolaus ille cum Hieronymo Nopo 1542 eō missus, ut uerbum Dei populo annuntiaret, & omnia rite disponeret. Verū cum Cæſar bello Smalkaldico uictor esset, anno 1548 cū alijs ministris Ratisbona pulsus Vuitebergā rediſt, & in arce pro Caspero Crucingero concionatorem egit. Paulo post Magdeburgum uocatus, post Ambistorferum pastor ad S. Vlricum efficitur. Vbi etiam grauissimæ obsidionis tempore permanſit, & ad Euangelicæ doctrinæ constantiam omnes incitauit. Cum autem Mauritius Saxo expeditionē contra Cæſarem fecisset, atq; tandem Passauj pax Germaniæ restitueret, Nicolaus Ratisbonam ad officium reuocat, ubi etiamnum magna parhisia Christū afflictis cōſcientijs fideliter annūtiat. prēter alia pietatis officia Nicolaus quoq; suam operam in Ecclesiastica Historia conficienda contulit, & quantum ingenio ualeret declarauit. Cum essem anno 1565 in festo Palmarum Ratisbonæ, hunc de sacra Eucharistia concionantem audiui, atq; sonoram uocem, & singularem in explicando uerbo Dei dexteritatem intellexi. Ab eo etiam huma niter suscepitus, & placide dimiſsus fui. Anon.